

CXLV.

Anno 1474. In festo Beatae Margarethae. Budae.

Amica inter Regni Slavoniae Nobiles et Zagrabiensem
Episcopum Osvaldum de praestandis decimis Conventio
a Mathia Rege a. 1474. confirmatur.

Nos Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Memorie commen-
damus per presentes: Quod Reuerendus in Christo Pater dominus Osualdus
Episcopus Ecclesie Zagrabienensis personaliter nostre Maiestatis veniens in con-
spectum, quasdam litteras nostras super dispositione et concordia inter ipsum do-
minum Osualdum Episcopum ex vna, ac Nobiles et incolas Regni nostri Scla-
uonie ex altera partibus, pretextu solucionis decimarum, coram nostra Maiestate
ac Prelatis et Baronibus factis et conclusis, sub nostro secreto ac eorundem,
Prelatorum et Baronum sigillis pendentibus confectas, eidem nostre Maiestati ex-
hiberi curauit, supplicans eidem nostre Maiestati cum instantia, vt paria earundem
litterarumstrarum sibi dare dignaremur. Quarum tenor is est: Nos Mathias
Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. memorie commendamus tenore presen-
cium significantes quibus expedit vniuersis: Quod licet nos visis iam sepius et
examinatis iuribus et priuilegiis Ecclesie Zagrabienensis super limitatione solucionis
decimarum, vna cum Prelatis et Baronibus nostris ipsa iura eiusdem Ecclesie
vigori suo iudicialiter relinquerimus, litterisque nostris mediantibus roborauerimus.
Nouissime tamen orla iterato differentia aliquali super solutione ipsarum decima-
rum inter fideles nostros Reuerendum in Christo Patrem dominum Osualdum
Episcopum dicte Ecclesie Zagrabienensis Nobilesque et incolas Regni nostri Scla-
uonie. Cum pridem vna cum Prelatis et Baronibus nostris hic Bude nobiscum
existentibus, visis de nouo et examinatis litteris et iuribus Ecclesie memorate
finale limitationem decisionemque iuxta continentiam priuilegiorum diuorum
Regum predecessorum nostrorum et etiam nostram prius factam fecissemus, datis
et confectis litteris nostris super premissa limitatione et adiudicatione per nos,
vti premittitur, de consilio dictorum Prelatorum et Baronum nostrorum facta,
penes sigillum nostrum et ipsorum etiam dominorum nobiscum tunc in examine
huiusmodi cause existentium, sigilla apponi, et paria litterarum partibus dari man-
dassemus, superuenerunt iterato ad nos fideles nostri Nobiles Petrus de Bykzad,
Andreas Capitanffy de Desznice et Johannes Viti de Korboua, nomine et in
persona vniuersorum Nobilium ceterorumque incolarum tocius dicti Regni nostri
Sclauonie, ac supplicantes nobis, quod quia ipsis decimarum solutio nimis hoc
tempore onerosa esset, ita, vt nequirent simul et seruicia Maiestati nostre ex-
hibere, et Turcorum insultibus, quorum crebro et frequenti incursu vastarentur,